



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. An ad Conversionem requiratur productio Termini ad quem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

RESOLUTIO II.

IV. **D**ico 2°. Conversio in eo à generatione distinguitur, quòd illa necessariò sit inter terminos positivos, & inter se repugnantes; non item generatio; hæc conclusio clarè sequitur ex præmissis.

DVBIUM II.

An ad Conversionem requiratur desitio termini à quo, sive ut alii, ut quod convertitur desinat.

Ante Resolutionem
V. **A** suppono de fide esse ex Trid. sess. 13. cap. 4°. per consecrationem panis & vini conversionem fieri, totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in sanguinem ejus. Vnde ex hoc loco clarè inferitur, de fide esse substantiam panis & vini non manere sub speciebus Eucharisticis; an autem transferri possint, sic ut adhuc maneat illa conversio? dubium est, quod proponitur hîc resolvendum. Pro quo, sit

RESOLUTIO.

VI. **D**ico ad Conversionem requiritur desitio conservationis termini à quo, sic ut, nisi duplici actione conservetur, terminus à quo simpliciter desinat, nec possit alibi in rerum natura remanere. est contra Scotum in 4°. dist. 11. q. 3. art. 2°. 5°. quantum, & Card. Lugo Disp. 7°. de Euchar. num. 131. & plures alios.

VII. Probatur 1°. ex D. Thoma 3. p. q. 15. art. 2°. in Corpore, quod convertitur in aliquid, facta conversione non manet. Propter quod August. lib. 18. de Civit. Dei cap. 16. & Cyrillus noster in epist. ad Successum, docent divinitatem non converti in creaturam, puta per Incarnationem, quia manet, quia non desinit, &c. sic etiam cæteri Patres contra Eutychen.

VIII. Probatur 2°. quia anima hominis non dicitur converti in formam cadavericam (supposito quod detur) ut ex communi modo loquendi constat; idque quia alibi remanet, & non desinit; tum quia inter Theologos constat in venerabili Eucharistiæ Sacramento, totam panis substantiam absolute desinere, idque vi solius conversionis, ergo, &c.

IX. Dices rectè dicitur homo conversus in cadaver, licet ejus anima non desinat, ergo, &c.

Respondeo negando consequentiam; quia homo non dicitur converti in cadaver, propter conversionem animæ in formam cadavericam, sed propter conversionem unionis inter partes in unionem ad formam cadavericam, supposito quòd detur; unio autem quæ convertitur, desinit, ut patet.

X. Dixi in Resolutione nisi duplici actione conservetur; quia, sicut conversio non requirit ut simpliciter incipiat terminus ad quem, sed sufficit ut incipiat per actionem, vi cuius simpliciter esset, si aliunde per aliam non esset, ut constat ex corpore Christi in conversione Eucharistica; ita conversio non requirit ut simpliciter desinat terminus ad quem, sed sufficit si desinat conservatio, vi cuius simpliciter desineret, nec in rerum natura remanere posset, si aliunde per aliam conservationem non esset. Ratio est; quia, ut dubio sequenti dicitur eadem est ratio cedentis, sive termini à quo; quæ succedentis, sive termini ad quem, quia sunt correlativa.

DVBIUM III.

An ad Conversionem requiratur productio termini ad quem.

Ante Resolutionem
XI. **A** suppono non deesse pro utraque parte authoritates: pro affirmativa quidem citatur Durandus in 4. d. 11. q. 3. Capreol. in 4. d. 11. Sotus in 4. d. 9. q. 2. art. 4. Alan. l. 1. cap. 34. 35. 36. 37. Suarez 3. p. To. 3. d. 50. sect. 5. Coninck 3. p. q. 75. art. 4. dub. 3. Valen. 3. p. d. 6. q. 3. p. 3. Henriq. l. 8. de Euchar. cap. 22. & 25. Marat. 3. p. d. 12. f. 1. n. 2. & d. 16. f. 2. Præpositus 3. p. q. 75. art. 8. d. 2. Tanner. 3. p. d. 5. q. 4. d. 4. n. 53. Hurt. hic d. 1. f. 4. Arriaga hic d. 1. f. 3. & alii. Pro negativa verò Scotus in 4. d. 11. q. 1. Okam. & alii antiqui: Vasquez 3. p. d. 181. ubi hoc fusè probat, licet per relationem rationis rem totam obscuram reddat. Pro eadem sententiâ citat Vasquez S. Thomam 3. p. q. 75. art. 4°. ad 1. & in 4. d. 11. q. 1. art. 3. S. Bonaventuram in 4. d. 11. p. 1. art. 1. q. 2. Alensem 4. p. q. 10. in 5. a. 3. & 4. Richar. in 4. d. 11. a. 1. q. 5. Ferra. 4. Cont. Gen. c. 63. tenet Card. Bellarm. l. 3. de Euchar. c. 18. Card. de Lugo d. 7. de Euchar. sect. 1°. Turrian. Opusc. 14. d. 1. d. 5. Ovied. Cont. 2. de Gen. d. 5. num. 22. & alii. Qui citantur apud Compton.

RESOLUTIO.

XII. **D**ico ad conversionem requiritur productio termini ad quem, sic, ut si aliunde non sit aliâ actione totali productus, per illam simpliciter esse incipiat. Hæc sententia mihi semper visa est opposita longè probabilior, ut potè, quæ umbratiliem pro vera conversione, accidentalem pro substantiali, nobis obtrudat, & Eucharistiæ substantialem conversionem hæreticorum ludibrio exponat, haud secus quàm qui diceret, ibi accidens sive accidentalem conversionem, esse substantiam, sive substantialem.

XIII. Probatur 1°. ex S. Augustino lib. 17. de Civit. cap. 18. nec sanè demones naturas creant (puta ad hoc ut commutationes hominum in lupos & aves, de quibus ibi & cap. 17. sint verè conversiones) si aliquid tale faciunt, &c. sed species tenus, quæ à vero Deo sunt creata commutant, ut videantur esse quod non sunt: puta conversi, ergo, &c.

Probatur 2°. autoritate D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1. nec natura divina potest converti in aliud; cum sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cum ipsa sit ingenerabilis, atqui sicut ly incorruptibilis significat ad conversionem requiri corruptionem quoad esse, ita ly ingenerabilis ex opposito requiri productionem quoad esse; ergo, &c.

XIV. Dices, S. Thom. 3. p. q. 78. art. 5. in Corp. oppositum docet his verbis, nec verba faciunt ut Corpus Christi sit Corpus Christi, sed ut contentum sub speciebus sit Corpus Christi, ergo, &c.

XV. Respondeo 1°. Retorquendo argumentum, quia verba etiâ non faciunt ut panis & vinum substantialiter desinant; sed ut contentum sub speciebus Panis & vini sit Corpus Christi; illa tamen quoad esse desinunt.

XVI. Respondeo 2°. S. Thomam tibi loqui de verbis ut veris, non verò de verbis, ut convertivis: de Conversione autem priori loco loquitur.

XVII. Probatur 3°. ad Conversionem requiritur desitio termini à quo simpliciter, & non sufficit desitio sub his accidentibus, vel in hac materia, ergo à parti

à pari requiritur productio termini ad quem simpliciter, & non sufficit sola productio sub his accidentibus, vel in hac materia, &c. Probatur consequentia, quia contrarium contraria est ratio; terminus enim à quo est cedens, terminus ad quem succedens; cedens autem & succedens utpote correlativa, opponuntur relativè contrariè, ergo, &c.

xviii. Probatur 4^o. quia alioqui sequitur nullà conversionem fore substantialem, sed accidentalem tantum, sive transitum in ubi novum terminum ad quem, & non in novum terminum ad quem substantialem; sed hoc parum est conformè Trident. sess. 13^a. c. 4^o. & can. 4^o. dicenti conversionem Eucharisticam apertissime ab Ecclesia Catholica transubstantiationem appellari ergo, &c.

xix. Nec dicas 1^o. appellari transubstantiationem à termino à quo, videlicet substantià panis & vini; quia transubstantiatio debet dici per ordinem ad utrumque terminum scilicet ad quem, & à quo; alioqui non esset ratio, cur potius per ordinem ad substantiam terminum à quo, diceretur transubstantiatio, quam per ordinem ad accedens terminum ad quem, diceretur transaccidentatio, saltem partialis; imò simpliciter deberet dici transaccidentatio; quia malum ex quo libet defectu.

xx. Nec dicas 2^o. appellari transubstantiationem; quia inter terminos substantiales; nam terminus ad quem per te non erit substantialis, sed ubi substantia, ut patet: sicut autem actio dicitur substantialis ab effectu substantiali, & non à principio substantiali; ita conversio dici debet substantialis à termino ad quem substantiali, & non à termino à quo tantum.

xxi. Nec instes cum P. Oviedo hic post Card. Lugo, terminum quidem conversionis materialiter, & ut productionis, esse ubi substantia, non verò conversionis formaliter, & ut conversionis; Quia in primis contendimus conversionem ut conversionem esse productionem termini ad quem, cui per illam responsionem non satisfiat: 2^o. rogo quare potius substantia, quæ est subiectum istius novi ubi, dicatur terminus ad quem conversionis ut conversionis, quam ubi istud, cum ab ubi substantia definientis, ad ipsum fiat transitus, & non à substantia definiente ad substantiam, nisi præcisè ratione illius ubi secundum te; illud autem est terminus ad quem conversionis ut conversionis, quo præcisè posito, ponitur conversio ut conversio, & quo præcisè ablato tollitur, quod esse debet ipsum ubi novum secundum te.

xxii. Dixi in Resolutione, ut, si aliunde non alià actione productus; quia panis & vinum verè in corpus & sanguinem Christi in Eucharistia convertuntur, aliunde tamen alia actione, sunt producta.

SOLUTIO OBJECTIONUM.

xxiii. Objicies tamen 1^o. in Eucharistia datur vera conversio: atqui juxta Trident. non datur productio corporis & sanguinis Christi, ergo ad conversionem non requiritur productio termini ad quem simpliciter, & quoad substantiam: Probatur minor, quæ sola eget probatione; quia Concil. Trid. sess. 13^a. c. 4^o. dicit illam conversionem fuisse ab Ecclesia collectam ex veritate verborum formæ Sacramenti Euchar. sed illi possunt esse vera sine productione substantiali Corporis & Sanguinis Christi tanquam termini ad quem; nam hoc ipso quod Christus est sub illis speciebus, licet non pro-

ducatur de novo, erunt vera illa verba, hoc est Corpus meum, hic est Calix sanguinis mei, &c. ergo, &c.

xxiv. Resp. 1^o. retorquendo argumentum, licet panis & vinum aliò transferantur, & non simpliciter desinant, etiam sunt vera illa verba, ergo non requiritur ad conversionem definitio simpliciter termini à quo: contrarium patet ex dictis, & P. Oviedo de Generatione cont. 2^a. parte 5. merito ait, dicere autem substantiam panis absolvi non desinere esse, nefas est.

xxv. Resp. 2^o. negando minorem; ad ejus probationem, distingo, Trident. dicit illam conversionem fuisse ab Ecclesia collectam ex veritate verborum, quâcunque, sive quâ verborum præcisè, nego, proportionatâ naturæ conversionis, sive quâ verborum conversivorum, concedo: nisi enim vidissent Ecclesiæ Patres illa verba esse vera veritate, quam exigit conversio, procul dubio non definivissent, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in sanguinem ejus. Vt ibidem definierunt.

xxvi. Objicies 2^o. ex P. Oviedo loco. cit. per reproductionem ut sic non potest intelligi corpus Christi existens sub speciebus modo speciali, quo sub illis existit, ergo præter illam reproductionem requiritur productio alterius, saltem modi, videlicet ubi, quæ productio dici potest sufficere absque reproductione.

xxvii. Resp. concessio antecedente & consequentia pro prima parte, negando consequentiam pro secunda; solam enim productionem istius modi, sive ubi, non sufficere ad conversionem substantialem, satis patet ex dictis: unde dicè necessariò utramque requiri; productionem quidè substantiæ formaliter; ubi verò concomitanter, eo modo, quo ad productionem substantialem requiritur productio substantiæ formaliter, & ipsius ubi & durationis concomitanter.

xxviii. Objicies 3^o. si corpus Christi per conversionem Sacramentalem, definente, pane substantialiter & realiter producit, definentibus post conversionem accidentibus panis, definit substantialiter & realiter, ut v.g. cum corrumpentur species & sub illarum nonnullis ponentur flegma, excrementa, mus, caro, lana, &c. sed hoc est absurdum, ergo, &c. major videtur legitima; probatur minor, quia sic corpus Christi converteretur in flegma, excrementa, carnem, lanam, &c. quod videtur blasphemum, ergo, &c.

xxix. Resp. concessio majore, negando minorem, ad ejus probationem quidquid dixerit Suar. disp. 54. sect. 3^a. id pias aures offendere, concedo antecedens; nec id magis pias aures offendit, quàm quod docet Suarez, & communis ac vera sententia, Verbum potuisse in hypostasim divinam assumere flegma, vilia alia, naturam muris, &c. imò id non nisi aures pias idiotarum idiotaliter offendere potest, si attendatur, Corpus Christi converti in flegma nihil aliud esse, quàm Corpus Christi definere ob productionem flegmatis, & aliquod ex accidentibus sub quibus ante fuit, conservari in flegmate, quod fieri posse, solus idiota negabit.

xxx. Objicies 4^o. negativa sententia vitat multiplicationem entium sine necessitate, nempe infinitarum productionum substantiarum Corporis Christi, ad Consecrationes, quæ indes fiunt, ergo, &c.

Confir-

xxx. Confirmatur: quia posita sola adductione nova, per quam Corpus Christi v.g. sic ponitur sub speciebus ut vi adductionis istius, saltem divinitus, definat substantia panis & vini, & sub illius accidentibus ponatur, satis salvatur ratio conversionis.

xxxi. Respondeo 1^o. etiam sententiam negantem definire substantiam panis & vini, & affirmantem aliud transferri, vitare multiplicationem corruptionum sine necessitate; hoc tamen non obstante, improbat sententia ista.

xxxii. Respondeo 2^o. supponi falsum videlicet ad conversionem, non esse istorum entium necessitatem, quod prius probandum est; oppositum enim convincunt probationes à nobis supra factæ.

Ad Confirmationem

xxxiv. Respondeo negando assumptum, quia Confirmatio ista petit principium.

xxxv. Obijcies 5^o. ad essentiam conversionis præcisè requiritur *transitus unius rei in aliam*; sed il-

le habetur definiente termino à quo, & termino ad quem de novo adducto, sive de novo unito accidentibus terminis à quo, ergo, &c.

xxxvi. Respondeo concessa maiore, distinguendo minorem; sed supposito, quod ad conversionem requiratur definitio termini à quo, ille habetur, &c. nego minorem, absolute transeat; quæro autem cur potius ad conversionem requiras definitionem; & tibi non sufficiateductio, si ad illam non requiras productionem, & tibi omnino sufficiat adductio? hic enim cardo difficultatis vertitur: quia autem non est ratio unius, potius quam alterius, & primum requiritur, secundum ex consequenti requirimus. Neque est quod P. Comptonus hic dicat, *transitum unius rei in aliam* dicere essentialiter definitionem termini à quo; cur hoc? si enim rectè dicatur conversio transitus unius rei in aliam quàm adductam, rectè dicetur transitus unius rei quàm adductæ in aliam quàm adductam, à pari.

DISPUTATIO TERTIA.

De Corruptione.

DVBIVM I.

Quid corruptio Substantialis & quomplex.

RESOLUTIO I.

I. **D**ico 1^o. Corruptio substantialis est definitio formæ substantialis remanente materiæ: Perly *remanente materiæ*, excludit annihilationem, in qua subjectum sive materia, non remanet.

RESOLUTIO II.

II. **D**ico 2^o. Corruptio rectè dividitur in directam & indirectam: directa fit per subtractionem concursus conservativi: indirecta per introductionem formæ incompatibilis cum priori, uti lib. 2^o. Physic. insinuavimus.

DVBIVM II.

An detur Corruptio Substantialis.

RESOLUTIO.

III. **D**ico, de Corruptione substantiali proportionaliter dictis Disp. 1^a. Dub. 2^o. de ipsa generatione substantiali, philosophandum.

DVBIVM III.

An Corruptio per se intendatur ab agente naturali.

Ante Resolutionem

IV. **S**uppono intentionem hic dupliciter accipi posse, 1^o. pro actu, quo voluntas in finem tendit: 2^o. pro inclinatione, seu tendentia, naturæ ipsius agentis in effectum: hæc est propria agentium necessariorum, illa liberorum. Hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

V. **D**ico corruptio potest directè & per se intendi ab agente libero; à necessario non nisi indirectè & concomitanter; imò interdum, nec directè & per se, nec indirectè & concomitanter.

VI. Probatur prima pars, quia corruptionem per se & directè intendi ab agente libero, agenti

libero liberum est; nam ei liberum est velle rem per se destruere, nihil aliud intendendo, vel propter aliud, & in alium finem collimando; sed id est corruptionem directè & per se ab agente libero intendi, ergo, &c.

VII. Probatur secunda pars, quia omne agens necessarium agendo, solum intendit producere sibi simile, quod cum frequenter non possit nisi destruendo formam incompatibilem, ut patet cum ignis agit in stupam, indirectè & concomitanter illius destructionem intendit, ergo, &c.

VIII. Probatur tertia pars, quia agens necessarium potest interdum producere sibi simile, non destruendo formam præviè existentem in materia, ut si hæc simul cum illa sit compaibilis; possunt enim duæ formæ totales substantiales naturaliter esse simul in eadem materia; ut constat ex dictis lib. 1^o. Physic. Disp. 3^a. ergo interdum nec directè & per se, nec indirectè & concomitanter, potest intendere corruptionem.

IX. Colliges 1^o. Corruptionem esse saltem latè naturalem, in quantum, saltem frequenter, indirectè & concomitanter exigitur ab agente naturali.

X. Colliges 2^o. hoc Axioma, *Corruptio unius est generatio alterius*, sensu formali nunquam esse verum; quia corruptio est opposita generationi; in sensu verò concomitativo interdum esse verum, ut si causa corrumpens, sit præsens & potens introducere formam suæ similem; interdum falsum, ut si non adfit, pro quibus vide dicta loco citato, & paulo infra dub. 5^o.

DVBIVM IV.

An in corruptione Substantiali fiat resolutio usque ad materiam primam.

Ante Resolutionem

XI. **S**uppono primo dubii hunc esse sensum, an composito fundamentaliter corrupto maneat nuda materia sine ullis prorsus accidentibus, & sic nuda, composito novo communicetur, ut v.g. an quando corrumpitur homo, nulla